Actus Apostolorum.

Caput i.

Jesus promittens Apostolis Spiritum sanctum, dicit non esse ipsorum scire secreta rerum futurarum tempora : et post ipsius in cœlum ascensum dicitur ab Angelis similiter venturus ; nomina Apostolorum ; oratio Petri de uno in locum Judæ proditoris sufficiendo ; ubi præmissis precibus eligitur sorte Matthias.

a. Luc. 1, 3.

PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus o Theophile, quæ cœpit Jesus facere, et docere

b. Matth. 28, 19.

2. Usque in diem, [b]qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est :

3. Quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.

c. Luc. 24, 49. Joann. 14, 26.

4. Et convescens, [c]præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, [d]quam audistis (inquit) per os meum :

d. Matth. 3, 11. Marc. 1, 8. Luc. 3, 16. Joann. 1, 26.

5. Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes : Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?

7. Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate :

e. Infr. 2,2.
f. Luc. 24, 48.

8. [e]Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, [f]et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.

9. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est : et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

10. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis,

11. Qui et dixerunt : Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

12. Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter.

13. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus, et Joannes, Jacobus, et Andreas, Philippus, et Thomas, Bartholomæus, et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi :

14. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.

15. In diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul, fere centum viginti) :

g. Ps. 40, 10. Joann. 13, 18.

16. Viri fratres, oportet impleri Scripturam, [g]quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum :

17. Qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus.

h. Matth. 27, 7.

18. [h]Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius : et diffusa sunt omnia viscera ejus.

19. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis.

20. Scriptum est enim in libro Psalmorum : [i]Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea : [j]et episcopatum ejus accipiat alter.

i. Ps. 68, 26.
j. Ps. 108, 8.

21. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus,

22. Incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.

23. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus : et Mathiam.

24. Et orantes dixerunt : Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum

25. Accipere locum ministerii hujus, et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum.

26. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.